BRUNO DE SEGNI, UNVOLLSTäNDIG. DISPOSITIO CATHOLICAE FIDEI, UNVOLLSTäNDIG

Enstehungsort unbestimmt, 2. Hälfte 15. Jh. Seite 19v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35457
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



bene subdit. Ante conspectu sctorum tuorum. Bonum mqt suaue et ad videndum delectabile est nomen tuum. Sz vbi? Ante conspectum sanctorum tuorum. Illis quidem quale est tale apparebit, ceteris uero qle mo supius dictum est. Ardens furor eius et grauis ad portandum.

In finem pro Amalech intelligencia dauid Amalech populus brutus interpretatur. De quo videlicet in huius psalmi inicio dicit. Dixit insipiens in corde suo non est deus. Et reuera brutus stultus et insipiens est qui hoc dicit. Et hoc qdem est intelligencia dauid et aliorum omnium qui deum esse credunt.

Dixit insipiens in corde suo non est deus. Quamuis generaliter de cunctis gentibus que deum ignorant hoc intelligi possit, specialiter tamen de iudeis intelligitur, qui videntes saluatorem nostrum humana carne uestitum hominem tantum et non deum esse crediderunt. Unde etiam dicebant. Secundum legem debet mori quia filium dei se fecit. Contra uero apostolus. Non rapinam mqt arbitratus est esse se equalem deo. Similiter autem et ipse dns ait. Si michi mqt non creditis operibus credite. Et alibi. Si opera non fecissem que nemo alius fecit peccatum non haberent, nunc autem excusacionem non habent de peccato suo. Corrupti sunt mqt et abhominabiles facti sunt in uoluntatibus suis. Corrupti mqt sunt a fide patriarcharum et prophetarum quia que ipsi deum esse negant hunc patriarche et prophete adorauerunt et coluerunt. Et ideo digne satis et deo et hominibus abhominabiles facti sunt in prauis uoluntatibus suis. Non est qui faciat bonum non est usque ad unum. Quia mqt tales sunt et a sctorum patrum fide recesserunt non est inter eos aliquis qui faciat bonum quia qd ex fide non est malum est. Nam ipse quoque orationes eorum sicut scriptum est fiunt eis in peccatum. Non ergo in eis est qui faciat bonum at uero in aliis omnibus usque ad unum. Unus ergo populus est et ipse solus qui faciat bonum per quem populus xpianus significatur. Nulla enim alia fides est que possit saluari nisi sola fides xpianorum. Et hoc quidem sequencia manifestat.

Dns de celo prospexit super filios hominum ut videat si est intelligens aut requirens deus. Et quales eos inuenit sequitur. Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt non est qui faciat bonum non est usque ad unum. Probatum est ergo a diuina auctoritate quia non est qui faciat bonum non est usque ad unum. Per quem ut mo diximus populus xpianus significatur. Ipse enim solus est qui eam intelligenciam habet de qua in tytulo huius psalmi dicitur. Intelligencia dauid. Ipse solus requirit deum quia ipse solus habet eam fidem que ducit ad deum. Ceteri vero omnes declinauerunt. Unde et quo? A ueritate ad errorem a luce ad tenebras a bono ad malum. Et hoc fecerunt simul et equaliter omnes. Ideoque inutiles et vani facti sunt omnes. Inutiles quidem quia neque sibi ipsis neque aliis prodesse possunt.

Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem qui deuorant plebem meam sicut escam panis. Deum non inuocauerunt illic trepidauerunt timore vbi non erat timor. Quorum dissipat ossa hominum sibi pla